

1665

18. Dobermannus, Joh: De re publica in genere
19. Falckner, Joh. Christoph: De contracta emptio-
venditionis. Pa. nov. 1754
20. Falckner, Joh. Christoph: De traditione per con-
stitutum.
21. Falckner, Joh. Christofforum: Flores themisli
sacri.
22. Müllerus, Philippus: De summi Imperii subjecto.
23. Richter, Christophorus Philippus: Programmas, quo
... iurata et ... citionem Georg. Thauris
Georgii Krulla.
24. Richter, Christophorus Philippus: De cautione
auctoris.
25. Richter, Christophorus Philippus: De universitate,
eius denique variis speciebus et finibus.
26. Richter, Christophorus Philippus: De significatione
adverbiorum.

1660

27. Richter, Christophorus Philippus : De defensione
extraordinari . . . 3
28. Poeser, Theophilus : De testamentis . 3
29. Schroeter, Ernestus Fredericus : De cautione neces- 40
saria
30. Schroeter, Ernestus Fredericus : De connubiis . 4
31. Schroeter, Ernestus Fredericus : De privilegiis mi- 4
nistrum .
32. Schroeterus, Ernestus Fredericus : De maleficiis
33. Schroeter, Ernestus Fredericus : De protoprosaxia . 4
34. Schroeter, Ernestus Fredericus : De seniore .
2 Exempl.
35. Schroeter, Ernestus Fredericus : De sublimi jure
territorium .
- 36^{a et b} Schroeter, Ernestus Fredericus : Forum competentis
2 Exempl.

1688.

37. Schroeter, Inuentus Fidericus: De iure consuetudinario

38. Schroeter, Inuentus Fidericus: De chirographo.

39. Schroeter, Inuentus Fidericus: De reputatione

40. Struve, Georg Adam: De officio iudicis.

2 Bunde

41. Struve, Georgius Adam: De natura privilegii que
dotium.

42. Struve, Georgius Adam: De contractu quodam
nominato, qui concernit Salinarum Halleasium
diti.

43. Struvius, Georgius Adam: De scriptis.

44. Windheim, Petrus Harbordus, a: De canonicis.

209

I

I



8.

Assistente Coelico Duce,

Pr. 42. Num. 10

AUTORITATE ATQVE SUFFRAGIO
Inclyti Jctorum in Illustri ac Florentissima ad
Salam Universitate Collegii,
MODERATORE

1665, 31

Præ-Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo, Excellen-
tissimoq;

17

DN. ERNESTO FRIDERICO

Schrötern / Hæreditario in Wickerstädt / Jcto

Eminentissimo, Antecessore hujus Academiae Celebra-
tissimo, Consiliario Ducali Saxonico Splendidissimo, Faculta-
tis Juridicæ, Curia Provincialis & Scabinatus Assessore Gra-
yissimo, Meritissimo,

PATRONO atque DOCTORE SUO singularis observantia & honoris
cultu perpetim devenerando,

EXERCITATIONEM JURIDICAM

DE

PRIVILEGIIS

M I L I T U M,

Publicæ Θεμισοφιλότων disquisitioni
exponit

JOHANNES CHRISTIANUS Hallmann/

VRATISLAVIENSIS.

AUTOR.

M. Januar. A. O. R. M. DC. LXV.

In Fano Themidi consecrato.

JENÆ

Lit e ris NISIANIS.



*202
p. 262*



SERENISSIMO, CELSISSIMO^q
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

CHRISTIANO,

DUCI SILESIÆ,
LIGNICENSI & BREGENSI,

PRINCIPI AC DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO,

Hanc qualemunque subjectissimæ Devotionis

Teseram

cum P I O

Sub hujus Novi Anni auspiciis

OMNIS HEROICÆ PROSPERITATIS

VOTO

submissa mente

manuq

D. D. D.

SERENITATIS EJUSDEM

devotissimus atq; humillimus

JOHANN CHRISTIAN Hallmann

Zuschrift.

Du Piaftæer Prinz / Du Sonne diser Welt /
Vor der Stamboldens Mond' / und Halv Sternen
 schwinden /
Durchlauchter / wo sich darf ein Schatten unterwinden
Zu küssen deinen Schein / so schau dich weisse Feld /
Auf welchem Themis Dir der Kriger Recht vorstellt /
Das Sie von viler Last für andern kan entbinden /
Und vor di Majestät zu streiten mehr entzündet /
Mit sanften Strahlen an. Di Frucht ist zwar erkält't / (nen
Doch wird / im Fall dein Glantz der Hoherlauchten Sinn
Dem scharfbeschneiten Stamm' wil etwas Wärmde gönnen /
Ihr ungeschmücktes Kleid in holder Blüthe steh'n.
So wird vor deinen Fuß sich meine Clio legen /
Und mit erstarrter Sprach' ein schuldig Dancklied hegen :
Denn Götter kan ja nicht ein irrdisch Lob erhöh'n.

J. C. H.

Cicer. in Planc.

QVI PRO REPUBLICA VITAM RED-
DIDERUNT, (LICET ME DESIPERE
DICATIS;) NUNQVAM ME HERCU-
LE EOS MORTEM POTIUS, QVAM
IMMORTALITATEM ASSECUTOS
PUTAVI.



I. N. 7!

PRÆFAMEN.

Nivat hoc Martis insidiosè delite-
scantis ævo Nos, qui inclutam Eruditio-
nis legitimæ viam ambulando *Const. om-
nem in pr. de Jur. doc. rat.* Themidis Ca-
stris vitam addiximus, illustria Militum Sa-
gatorum Privilegia non Asiatico Tullii, sed Laconico Mi-
nervæ titubantis penicillo delineasse. Ne autem con-
tra monitum Jcti Perusini *Bald. in prelud. Feud. col. 1.*
manus statim in messem injiciam, adeòque illotis, quod
dicitur, manibus rem aggredi videar, pauca quædam
prius (licet nonnulli ex quadam Areopagitarum Lege
ἀνευ προοιμίας dicendum esse opinentur,) materiæ huic
præfari placuit, elegantissimum Gaji de proœmiorum
utilitate in *l. 1. ff. de O. J.* assertum observantes. Quod
igitur ad rem spectat, exploratissimi Juris est, quamlibet
Rempublicam, Imperium quodvis in duo divisum esse
tempora, BELLI videlicet & PACIS *l. 1. in pr. C. de V. J. E.*
Arist. Lib. 7. Politic. c. 14. cujus administrationem ac felicis-
simam tuitionem de stirpe duarum rerum, ARMORUM
scil. atque LEGUM venire, vimque suam exinde munire,
Sacratissimus tradit Imperator *in proœm. J. & pr. Const.*
de Justin. Cod. confirm. Hæ siquidem domi in Toga & Pa-
ce ad conservandam Subditorum Unanimitatem: illa ve-
rò in Bello ad Imperii Defensionem, illatæque injuriæ

A 3

pro-



propulsionem *l. 3. ff. de J. & J.* firmissimum afferunt sub-
sidium. Belli autem legitimè suscepti potissimum ro-
bur non tam in Armorum, aliorumque ad benè instruen-
dum aciem adminiculorum apparatu, quàm in numero-
sa, bellicisque virtutibus decoratissima Corona Militum
consistere, ipsa comprobat ratio, ipsa necessitas. Verè
dixit Politicorum facilè Princeps *Tacit. 1. Histor.* Sine Mi-
lite multa quamvis egregia, tamen invalida. Nec abs re.
Experientia quippe multis abhinc Seculis edocuit, Bel-
lum, justo conscribendi, initiandi ac remunerandi Mili-
tes modò destitutum, in Latrocinia degenerasse pernici-
osissima : Colluviem enim Latronum, hominumque
plumâ leviorum, non generosum Exercitum, Auda-
ciam desperatam, non Animositatem, Perfidiam, non
Fidem, Fugam ignominiosam, non Constantiam ibi vi-
disses: ideòque perversæ ejusmodi Dimicationes tristsi-
simum quovis tempore sortitæ sunt exitum. Longa e-
xemplorum serie res ut illustretur, instituti ratio non per-
mittit. Hanc Reipublicæ Sagatæ pestem Hydra Lernæa
pejus evitare studuit Bellicosissima quondam Romano-
rum Natio, quorum unica cura eò tendit, quâ ratione
non saltem in condendis Legibus rectus ac decens ordo
ab ipsis observaretur, sed etiam laboribus, periculis, con-
fusionibusque abundantissima Militantium conditio
certis limitibus circumscriberetur. Norunt enim, præ-
cipuum Decus & stabilimentum Imperii esse Militaris
Disciplinæ tenacissimum vinculum *Val. Max.* Norunt,
Militem Principi in Pace Decus esse, in Bello Præsidium;
& Milites veros non Fortitudinem magis, quàm Fidem
colere, *Curt.* Ecquid enim aliud Principatum Terra-
rum Romano peperit Imperio nisi Disciplina Militaris?
Disci-

Disciplinam siquidem Castrorum antiquiorem fuisse Pa-
rentibus Romanis, quàm Charitatem Liberorum profi-
tetur *l. 19. §. 7. ff. de Captiv. & postlim.* Ea de causa ma-
gnos Honores, magna Emolumenta, plurimas præ cæte-
ris Prærogativas, Libertates & Jura propria Militaribus
Hominibus Romani concesserunt, imò non vivos tan-
tùm, sed & pro Republ. mortuòs præclarissimè honorâ-
runt, uti Annalium, Jurisque Romani testantur Condito-
res. Etenim quis illos homines non suspiciat veneretur-
que, qui, ut alii in Pace, in otio, in Umbra sinè curis vi-
vere possint, ipsi in Bellum exeunt, Solem, Pulverem,
Frigora, Imbres, Famem, Paupertatemque lubentes pa-
tiuntur, Labores insuper & pericula, quæque Homini ad-
versa evenire possunt, spontè capessunt? Quis illos Ho-
mines non condignis afficeret præmiis, qui, ut alii vivere,
& quidem benè ac cum voluptate vivere valeant, ipsi
Corpus, Sanguinem, Vitamque suam discrimini expo-
nunt, & omnibus humanis generosæ cujusdam Virtutis
Amore studioque renunciant? Quocirca relicto fuscis
præludendi campo, ob jam adumbratos Herculeos Mili-
tantium Labores, Inquietudines, Molestias ac pericula,
quibus Vita ipsorum in Emolumentum Patriæ subjacet,
nunquam non præsentissima, in Honorem Militum non
sublestæ fidei, sed qui

Pro Patria magnum Decus est profundere vitam
generosis labiis symboli loco subindè ruminant; ho-
rum, inquam, in Honorem ac Famam immortalem PRI-
VILEGIA, à Gloriosissimis Romanorum Imperatoribus
olim & ad hanc usque lucem MILITIBUS clementissimè
concessa, Responsisque Veterum JCrorum celeberrimi-
mis sufficientissimè munita, hoc qualiquali Discursu enu-
clean-

cleando representabimus. Hanc enim materiam, (de qua haud infrequentes in Magnorum Justitiæ Sacerdotum *l. 1. §. 1. ff. de J. & J.* confesibus ortas fuisse dubitationes constat,) quia seipsam satis reddit commendabilem, nec ulla indiget commendatione *l. 1. ff. de Rest. in integr.* sesquipedalibus extollere laudibus ac verborum lenociniis supersedebō, ne Solis splendorem facibus illustrare velle videar. Cū autem omnibus in rebus ordo sit servandus *Borch. in proem. tract. Feud. præmiss. n. 2. Negusant. tr. de pignor. in pr.* atque tantū inter methodicam & confusam Tractationem interesse, quantum inter Regiam Viam, & eam, quæ per ambages ducit, quivis facile perspiciat, ea propter intra hos methodi cancellos me continebo, ut scil. brevissima Militum contemplatione præmissâ, succinctè, quantum fieri poterit, ostendam tū ipsa MILITUM PRIVILEGIA, tū Eorundem Amissionem. Prodeat itaque, implorato prius IMMANNUELIS NOSTRI OPT. MAX., in cujus Nomine ad omnia Consilia, omnesque Actus progrediendum *l. 2. pr. C. de off. Præf. Præf. Afr.* præpotenti Auxilio,

SECTIO PRIMA

De Militibus,

THES. I.

PRivilegia Militum consideraturo de Militibus quædam præmittenda veniunt. Nam parum est, Jus nosse, si Personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur, admonente ita *Justiniano in §. ult. J. de J. N. G. & C.*

II.

Cū autem ea sit vera Juris docendi ratio, quæ ab
Ety-

Etymologia verborum incipit, quia rei propositæ vim aperit, & non mediocriter illustrat, usumque necessarium habet, quoties interpretatione res, de qua quæritur, eget, uti eleganter non minus, quam verè cum *Quintil. Lib. I. Inst. Orat. sentit Præ-Nobilissimus atq; Excellentissimus Dn. Præses, Jctus ac Antecessor omni laude major, Patronus & Præceptor meus æviternum colendus, in accurat. Tr. de Suitate Cap. 1. in pr.* ideò Vestigiis Eiusdem laudatissimis insistens, Militis Etymon primo statim intuitu enodandum suscipio: quamvis aliqui, putantes cum *Bald. Conf. 33. n. 2. Vol. 1.* Leges nostras Prisciano minimè subjacere, has onomatologias negligere atque ridere non erubescant. Singularem namque illorum opinionem ipsis Jctorum traditis è diametro repugnare, patet ex *S. 5. J. quib. mod. P. P. solv. pr. J. de Testam. l. 1. in pr. ff. de Novat. l. in pr. ff. de Furt.* aliisque locis benè multis, in quibus haud postrema Notationis Vocabulorum habetur ratio. Add. *Everhard in Topic. Loc. ab Etymol. n. 3.* Et imprimis hanc nostram assertionem corroborat Subtilissimus *Ulpianus in l. 1. §. 1. ff. de Testam. Mil.* inquiens: Miles appellatur vel à Militiâ, (quidam legunt mollitia κατ' ἀντιφρασιν scil. *Bocer. in tr. de Jur. Pugn. lib. 1. cap. 7.*) i. e. Durezza, aut à multitudine, aut à malo, quod arcere Milites soleant: aut à numero mille hominum; ductum à Græco verbo Tagmate. Nam Græci mille hominum multitudinem *μίχμα* appellant, quasi millesimum quemque dictum; unde ipsum Ducem *χιλιαρχόν* appellant. Cui postremæ notationi, cum eam *Ulpianus* approbare videatur, assentior. Quoties enim in Jure plures de eadem materia opiniones proferuntur, ultima imprimis probari existimatur *arg. l. 10. in pr. in verb. Potius n. hoc procedere &c. ff. de A. vel A. Poss.* Ex quibus luculenter apparet, Jctos non

B.

mi-

nus, ac alios Disciplinarum Speculatores in Vocum delectari investigatione. Imò ipsum Jctum Gajum de Originibus Vocabulorum aliquot exarasse Volumina, testatur *AGellius Lib. 11, N. A. c. 17.*

III.

Nec sua Vox hæc destituitur ambiguitate : multis enim Personis eandem accommodari constat. Et quidem Militis Titulo insigniuntur Episcopi, Sacerdotes, ac tota Clericorum Cohors, qui milites cœlestes seu spirituales, aut militantes in Ecclesia DEI *Gl. in l. 6. ff. de Re jud.* item Milites CHRISTI *2. F. 23.* indigitantur. *Cardin. Tusch. Practic. Concl. Tom 5. lit. M. Concl. 227. n. 4. Everhard. in Top. Loc. à Mil. arm. mil. ad Mil. Cœl. milit.* Sic Scholares quoque & Doctores *l. 1. & 2. C. de Privileg. Scholar.* Advocati & Causarum Patroni milites & militare dicuntur per *tx. nitidissimum l. 14. C. de Advoc. div. Jud.* cujus verba aureis sanè incidenda tabulis referre placet : Militant namque, ait, Causarum Patroni, qui Gloriosa Vocis confisi munimine, Laborantium Spem, Vitam & Posterios defendunt. Porro quemlibet Officalem appellari Militem, docet *l. unic. C. in quib. Caus. mil. for. prescript. & t. t. C. de Privil. eor. qui in Sacr. Pal. mil. Lib. 12.* Ita quoque ad alios hoc nomen transferri, notum est. Amantes siquidem Sulmonensis Vates Milites nuncupat, canens :

Militat omnis Amans, & habet sua Castra Cupido.

Sic Carulum in Sylvis militare tradit *Gl. in l. unic. ff. de Bon. posf. ex Testam. Mil.* Sic vitam denique Hominis Militiam vocitat *Job. c. 7. v. 1.* cui congruit Senecæ illud : Vivere est Militare. Ast nullam jam adductarum significatio-

tionum, cum ea Analogiam sapiant, ad propositum pertinere nostrum, paulò post ex Definitione Militis elucescet.

IV.

Synonymiam hujus vocabuli quod attinet, paucissimis observare licet, Militem & Vasallum æquivalentia esse *Calvin. in Lexic. sub Voc. Miles. p. m. 1252*. Non obstante communi Feudistarum distinctione inter Militem seu Actu militiam exercentem, & inter Vasallum alterius conditionis, uti *Schrad. p. 6. c. 2. n. 173. Schneidevv. p. 5. n. 9. Rosentb. c. 6. concl. 30. n. 7.* aliiq; contendunt: Eam enim firmo vix stare talo, varii Juris Feud. txx. evincunt, in quibus Militis appellatione quivis denotatur Vasallus, ut in *r. F. 19. 21. 22. 23. 26. §. 1. & 2. F. 22.* Confer. *Magnificus ac Præ-Nobilissimus Dn. Struve, Jctus & Antecessor undique Decantatissimus, Patronus ac Doctor meus maxime suscipiendus in exquisitis. suo Synt agm. Jur. Feud. cap. 10. aph. 7. n. 1. p. m. 380.*

V.

Definitionem nunc ut adjungam, justa ordinis ratio exigit. Militem autem armatum cum *Illustri Georg. Acac. Enenck. B. H. in tr. de Privil. Mil. Lib. 1. c. 4. n. 8.* sic definire lubet: Miles est Persona, ab eo, cujus est belli potestas, ad justum Bellum lecta, in numeros relata, Sacramentoque firmata.

VI.

Traditæ huic Definitioni quasdam annectendas esse observatiunculas autumo. Et quidem circa verba illa: Cujus est Belli gerendi potestas. haud incongruè controversitur: An hodiè soli Imperatori Romano Jus Belli indicendi ac Milites conscribendi in Imperio Romano

competat? Et si rem paulò altiùs repetamus, olim quidem, postquàm Lege Regia Populus Rom. omne Imperium ac potestatem Imperatori concessit §. 6. *J. de J. N. G. & C. §. 1. ff. de Const. Princ.* coepit Jus istud Belli dicendi soli competere Imperatori: Nam si quis alius inferior injussu Imperatoris Bellum paraverit, non Bellum, sed Latrocinium & prædatio appellatur *l. 24. ff. de Captivo. & postlim.* ac ille in Crimen læsæ Majestatis incidit *l. 3. ff. ad L. Jul. Maj. l. 17. C. de Re mil. l. un. C. ut arm. us. in sc. Princ.* Exindè tamen non concludendum, hodiènum etiam solum Imperatorem Rom. hoc Jure gaudere: Electoribus quippe, cæterisque Principibus Orbis Romani, si supremus Magistratus, Turcà vel alià peregrina Gente in Imperium Rom. hostili animo irruente, suo non fungatur officio, omni Jure licitum est, Populum ad arma vocare, Militesque conscribere ad defendendam & conservandam publicam Utilitatem. Imò in nostra Republ. Romano-Germanica potestatem belligerandi penes Imperatorem in solidum non esse, evidenter liquet ex Capitulatione Caroli V. Gloriosissimæ memoriæ, quæ legitur apud *Sleidan. Lib. 1.* his verbis: Ne Imperator pro Rebus Imperii, nisi de Ordinum, præcipuè autem Electorum Voluntate intra vel extra fines Imperii Romani Bellum ullum suscipiat, neque peregrinum Militem absque illorum consensu in Germaniam adducat. Item ex *Capitulat. Germ. FERDINANDI III. Glor. Record. Artic. XI.* Ex quibus præmissis haud obscure sequitur, non solum Imperatorem, sed etiam quemvis alium Principem & Dominum Imperatore Rom. inferiorem Jus indicendi Belli obtinere, hac tamen addita limitatione, ut talis Princeps Bellum concitare in animo habens, primò requirat Autoritatem

tatem & Iustum Imperatoris: atque sic intelligendum esse supra alleg. l. 3. vers. Eadem Lege tenentur. ibi: Qui injussu Principis Bellum gesserit &c. ff. ad L. Jul. Maj. eleganter tradit Bocer. Lib. 1. de Jur. Pugn. c. 4.

VII.

Porro, ut quis veri Militis titulo gaudeat, notanter in Definitione justum requiritur Bellum. Etenim sicut injustum Bellum latrocinium potius, quam Bellum est dicendum, ita qui tali operam locant, Latrones potius & prædones, quam Milites sunt censendi. Bald. in l. 1. in f. C. qui Bon. ced. poss. Ideoque nec quæ capta sunt aut occupata istiusmodi ratione, quisquam facit sua, non magis, quam latrocinio parta, asserente hoc Job. Fabr. ad §. 19. J. de Rer. Div. Justi autem Belli Natura quæ sit, cognoscere licet ex descriptione Isidori in cap. Justum. 23. q. 2. quod scilicet ex Edicto geritur de Rebus repetendis, aut Hostium propulsandorum causa. Et Gail. Lib. 1. de P. R. cap. 4. n. 40. Bellum, ait, quod pro defensione suscipitur propria; aut rerum suarum, aut recuperandis rebus ablatiis, pro defensione Patriæ aut Civitatis suæ, aut contra Subditos rebelles; & omnium maximè, quod geritur contra infideles Turcas, perpetuos Fidei Christianæ Hostes, justum est & licitum.

VIII.

Tria insuper Veri Militis requisita supra proposita continebat Descriptio, ut nimirum sit 1. Persona lecta: lectum enim initio Militem esse oportet l. 42. ff. de Testam. Mil. 2. in Numeros relata per d. l. 42. l. 4. & l. 38. §. 1. ff. eod. l. 3. & 4. C. de Off. Mag. Mil. quibus txx. neutiquam contradicit l. unic. §. fin. ff. de Bon. poss. ex Test. Mil. in qua expressè statuitur, esse videlicet etiam Militem, qui in nume-

B 3

ris



ris non est. Brevitatis enim gratia Resp. istam L. in suo tantum Casu loqui, & omnem interpretationem ex *l. pen. ff. de Test. Mil.* accipere: cætera in conflictu ostendemus. Tandem 3. requiritur, ut Sacramenti quoque vinculo sit obstricta *l. 13. §. 3. & l. ult. in pr. ff. de Re Mil. l. 3. C. de Castrens. pecul. Add. Enenk. d. l. n. n.*

IX.

Dilucidata Militis Definitione, ad multifarias ejus descendendo divisiones, quarum generalissima est, quod distinguantur in Armatos & Civiles, seu Togatos aut Paganos *l. 3. C. qui mil. poss. l. unic. C. Negoc. ne mil. lib. 12. Vultej. in Comm. 7. de Testam.* sed uti dictum, analogicè: hinc duplicem in Jure dari militiam, Armata[m] scil. & Civile[m], sub quâ Literata, Advocatorum scil. *l. 14. C. de Adv. div. Jud. & Palatina t. t. C. de Privil. eor. qui in sacr. pal. mil. comprehenditur, neminem latebit.* Porro milites armatae militiae distinguuntur in Majores seu Primarios, ut sunt Magistri *l. 63. §. 1 C. de Donat. & Præpositi Militum l. 3. §. ult. jubemus. ibi: sive Majores, sive minores. C. Locat. Cond. in Equites l. pen. ff. de Testam. Mil. & Pedites l. 17. in pr. C. de Re mil. lib. 12. in Tyrones t. t. C. de Tyron. & Veteranos t. t. ff. & C. de Veter.* In Ordinarios, à Principe in omnem Belli eventum conductos, qui vel certis Regni locis adstringuntur, & Stationarii dicuntur *l. 4. ff. de Fugit.* quorum tres species 1. Limitanei, limitibus Regni tuendis præpositi. 2. Præsidarii, ad locum aliquem servandum collocati, *Die in der Besatzung liegen.* & 3. Prætoriani, quos Princeps circa se habet, quales sunt apud Turcas Janizari: vel in suis domiciliis relinquntur, suntq; illi, qui actu quidem nondum militant, armis tamen expediti sunt ad postulationem Principis. Et subsidiarios, colle-

collectos vel ex domesticis, vel ex peregrina Gente, Sociis potissimum & Confoederatis l. 7. ff. de Captiv. & postlim.

X.

Atque hæc quoad militum præcognita dixisse sufficiat : Cætera enim, quæ de illorum Conquisitione, in Numeros relatione, Jurejurando, Lustratione, aliisque tam de Jure Veteri Romano, quam Hodierno in Disciplina militari adhibitis solennitatibus circumstantiisque afferri possent, diffusiori explanare calamo, hujus loci non est; Privilegia namque Militum, non ipsam trutinare decrevi Militiam. Vid. autem hac de re copiosè agentes *Bocer. in Tr. de Jur. Pugn. Lib. I. c. 7. seqq. Veget. de Re milit. Lips. in tr. de milit. Rom. Schönborn. Polit. Lib. VI. c. 11. seqq. Gregor. Richt. in Axiom. Polit. Svend. in Discurs. Milit. Dillich. de re mil. aliq.*

SECTIO II.

De Militum Privilegiis.

THESIS I.

EXpedita igitur Militum contemplatione, Privilegia eorundem pensiculanda methodus semel incœpta postulat. Ne autem forsitan in ejusmodi re, quæ nihil hodiè momenti, nihil utilitatis, præter leviem quandam & inanem obsoletæ antiquitatis parere possit notitiam, multum desudare, adeòque in cassum laborare videar, ante omnia nobilis illa, hujusque Thematis præjudicialis & fundamentalis quasi examinanda venit controversia : Utrum videl. ista Privilegia, Jure Civili Militibus
quon-

quondam Romanis concessa, nostris quoque Militibus hodiè competant ac profint? Et quanquam nonnulli ex Dd. quos inter *Cynus & Salycet. in l. 1. C. de J. & F. Ignor. Bald. in l. 6. in f. C. de Testam. Milit. Aretin. in pr. J. de Mil. Test. & Cardin. Tusch. Practic. Concl. Tom. 5. lit. M. Concl. 222. n. 1.* negativam apprehendant sententiam, hoc præcipuè nixi fundamento, quod ordo & solennitas deligendi & assumendi Militem, antiquitus observata, maxima ex parte in desuetudinem abierit, ac proindè ea sublata, nostri Milites pristinis Beneficiis ac Privilegiis militaribus gaudere non debeant: Verior tamen affirmativa frequentiori Dd. calculo recepta & approbata est ob seqq. rationes: 1. Quia non minùs hodiè ac olim Milites numeris ac signis suis jugiter inhærent, & Rempubl. à qua aluntur, ab omni Bellorum necessitate defendunt *l. 31. C. Locat. Cond.* imò non solùm pro Patria vindicanda, pro Laribus, Sepulchrisque avitis, ut Romani consuevere, dimicant, sed etiam pro sanctissima Religione sanguinem animamque profundunt. 2. quoniam eadem ratio adhuc militat in nostris militibus, ob quam Rom. militibus Solennitates Juris communis remissæ sunt, quæ ratio est simplicitas & ignorantia Juris sivè nimia imperitia *l. 3. C. de Testam. Mil. l. 1. C. de J. & F. Ignor.* cujus simplicitatis, ignorantia & imperitia causa est armorum occupatio, quæ facit, ut, quod Leges præcipiunt, non sit ocium Militibus vel cognoscere, vel etiamsi cognoverint, superstiosè observare *l. ult. in pr. C. de Jur. Delib.* Deniq; 3. pro hac opinione maximè ista facit ratio, quòd scil. omnia Privilegia Jure Civili sint introducta. Jure autem Civili per universas Romani Imperii Provincias, exceptis paucis ab eò divulsis, ita passim utimur, ut, licet ubique peculiaris quædam Statuta, Jura & consuetudines serventur,

ventur, Jus tamen hoc omnes unanimi consensu, tan-
quàm supremam actionum rerumque suarum normam,
omnisque adeò Juris fontem & summam suscipiant ve-
nerenturque. Quare ex illo etiam Jura publicè reddunt,
& in Scholis suis ac Cathedris idem publica autoritate
docent ac profitentur. Quæ, cum ita sint, meritò & Mi-
litibus Privilegia sua, à Legibus ac Jure Civili ipsis tribu-
ta, rata habenda & relinquenda erunt non minùs, quàm
mulieribus, minoribus, creditoribus, & aliis Privilegia
sua, eodem Jure nixa, firma atque illibata servantur:
quod enim mutatum vel abrogatum non est, cur stare
prohibeatur? *l. 27. C. de testam. l. 32. §. ult. C. de appellat.*
& arg. l. 2. C. de testam. Tutel. Ad Dissent. verò objectio-
nem. Resp. Priscas illas in probandis & deligendis
militibus solennitates non multum hodiè esse immuta-
tas: Duæ quippe olim præcipuè observabantur, scil.
ut in numeros referrentur, seu matriculæ inscriberentur
l. 42. ff. de testam. mil. & ut Sacramentum præstarent l. ii.
in f. pr. ff. eod. illud utrumque usus retinuit, quia & ho-
diè in matriculis seu rotulis militum nomina scribuntur,
& jusjurandum nostri milites præstant, si non sigillatim,
tamen simul. Et posito, ordinem ac solennitatem as-
sumendi milites in desuetudinem abiisse, quoad Privile-
gia tamen militaria nihil esse immutatum, supra allegatæ
rationes sat plausibiles demonstrarunt. Atque ita sen-
tiunt Schneidevv. ad pr. §. de Mil. Testam. n. 8. Harpr. in
Comm. §. ibid. n. 5. Vaud. Lib. 1. var. quest. c. 55. Sicbard.
in rubr. C. de Test. mil. n. 9. Bocér. de Jur. Pugn. Lib. 1. c. 28.
Wesenbec. Consil. 17. n. 32. Mynsing. Resp. 46. n. 9. Decad. 5.
Hunn. in Resol. ad Treutl. Vol. 2. Disp. 10. qu. 34. Hænon.
Disp. 7. contr. 10. Anton. Merend. Lib. 6. Controv. Jur. c. 8.

C

n. 7.

*n. 7. Georg. Acac. Eneenck. d. tr. Lib. 1. c. 3. n. 1. Zæf. in Com.
n. de Remil. n. 7. B. Dn. Aruma. Exerc. Justin. 7. th. 8. qui-
bus ad stipulatur Præ-Nobilissimus atq; Excellentissimus Dn.
Præses in elegant. Animadv. ad Suthold. Disf. 7. Aphor. 60.
p. m. 190.*

II.

Agedum! Salva res est. Pertexamus ergò inchoatam telam. Ac primò quidem in Natales Privilegii esset inquirendum, nisi jamdudum Eruditorum orbi innotuisset, Privilegium dici quasi privans Legem, vel privam ab antiqua voce, aut privatam Legem; illudq; dividi in Reale & Personale, uti discimus ex §. 6. *J. de J. N. G. & C. & l. 196. de R. J.* Cæterùm Privilegiorum in genere naturam diffusissimam heic indagare, rem actam esset agere, ac opus foret fermè desperatum *arg. §. 2. Proæm. J.* cum enim de unica saltem eorundem specie, militari scil. differere animus sit, ideò molem istam humeris imponere meis necessum non est, ne Disputationis loco ingentem tractatum edidisse videar. Evolv. hac de materia præprimis *Salanus Noster Papinianus, Magnificus Dn. Richter, Com. Sacr. Pal. Cæsar. Eminentissimus, Jctus & Antecessor Primarius per Orbem Celeberrimus, Patronus atq; Doctor meus submissè devenerandus p. 1. Decis. 4. Præ-Nobilissimus Dn. Struve in aureo suo Syntagm. Jur. Civ. Ex. 2. th. 27. Cardin. Tusch. Practic. Concl. Tom. 5. lit. P. Concl. 722. seqq. usq; ad Concl. 766. Eneenck. de Privil. Jur. Civ. aliq;*

III.

Quis Autor Militarium fuerit Privilegiorum, non abs re erit disquirere: & quidem quod Testamenti Militaris Privilegia concernit, horum primum Autorem D. Julium Cæsarem, post hunc Titum, Domitianum, Nervam, & Tra-

Trajanum extitisse, *l. 1. in pr. de Test. Mil.* luculenter ostendit. Reliquorum verò Autores & Confirmatores Imperatores Romani, nominatim Severus, Antoninus, Alexander, Gordianus, Valerius, Galienus, Diocletianus, Maximinianus, Philippus, Constantinus & Anastasius recitantur, uti ex Inscriptionibus LL. Cod. patet. Omnium tamen horum Privilegiorum Autor ac Collocator unus maximè videtur Justinianus, qui sicut omnia Jura tam singularia, quàm communia collegit, & in unum corpus redigi curavit, ita his quoque ex se solo omnem communicavit auctoritatem *arg. l. 1. §. 6. C. de V. J. E.* Quem deinceps usque ad nostram ætatem gloriosè imitati sunt subsequentes Augusti, quorum indefessum pro Republ. militari studium Jura hæc Militum singularia vel expressis Legibus, vel tacito assensu comprobavit ac confirmavit. Autorem itaque omnium Privilegiorum Militarium Imperatorem esse Romanum, ex dictis facile colligi potest.

IV.

Cui hæc Privilegia tribuantur, suprâ ex Definitione Militis *in Sect. 1. th. 5. 7. & 8.* affatim cognoscere licet; Militi nimir. armato, qui Principi, Domino aut Civitati ad honestum & licitum Bellum se obstrinxit, ad Signa juravit, Statuta, Leges, Consuetudines & Usus militares observat *Bocer. d. l.* Etenim ut verus miles sit, omnia illa requisita habeat necesse est, horum enim aliquod si abest, indignum se Privilegio reddit.

V.

Caussam horum Privilegiorum impulsivam & quidem primariam constituo tum Occupationem publicam, & imprimis Merita Militum, quæ præmiis sunt afficienda
C 2 aut

aut provocanda l. 26. §. 1. ff. de Test. Mil. l. 4. ibi: sudoribus eorum beneficium deferentes. C. de appar. Mag. Mil. lib. 12. l. 3. C. de Milit. Vest. lib. eod. l. 9. in verb. rem remunerantes fidam Devotionem Militum nostrorum C. quand. provoc. non est necess. tūm Favorem Principum erga Milites l. 1. ff. de Testam. Mil. l. 19. C. de Pact. Secundariam autem assero nimiam Militum Imperitiam l. 40. ff. de admin. & peric. Tut. Jurisque ignorantiam, l. 40. §. fin. ff. de Test. Mil. l. 1. C. de J. & F. Ign. Simplicitati enim militum se consulere velle Imperatores dicuntur in l. 1. ff. de Test. Mil. l. 3. C. eod. ut qui arma magis, quàm Leges scire existimantur l. fin. in pr. C. de Jur. delib. Silent namque inter Arma Leges Aretin. in proœm. J. n. 7. Adhæc æquisimum est, imperitiæ & ignorantia eorum veniam dari, qui ob perpetuas minimè que cum Rebus civilibus affines occupationes, ob absentiam item à Patria, Foro & Negotiis urbanis non æquè Jus scire possunt. Nec enim utriusque Disciplinae facilè capax est humanus animus, maximè que inter se Togæ & Arma disident, Vid. quoq; Magnificus Dn. Richter Decis. 38. n. 9. Notanter autem imperitiã militum ad secundarias, non primarias seu universales refero causas, quia certum est, non in omnibus Militum Privilegiis hanc requiri aut considerari: quædam enim Privilegia ob alias causas, quam simplicitatem, Militibus concessa fuisse, infra videbimus.

VI.

Finem planè nullum alium hac Privilegiorum indulgentia Imperatores intenderunt, quàm ut utilitas publica l. 14. & 15. C. de Re mil. l. 7. & 9. C. de Procurat. Honestas publica l. 19. C. de Agric. & imprimis militaris disciplinae administratio ac conservatio eo ipso feliciter promoveretur

retur l. 13. & 15. C. de Re mil. l. fin. C. quib. non obj. long. temp.
pres. & l. fin. C. de Restit. milit.

VII.

Cæterum hæc Privilegia non unam in Jure sortita
sunt appellationem: vocantur enim beneficium milita-
re l. 3. ff. de Testam. mil. Jus proprium atque singulare l. 2.
ff. eod. Jus militare l. 7. & 9. ff. eod. Principale benefi-
cium l. 11. ff. de Vacat. & excus. muner. Privilegium Militiæ
l. 9. in pr. C. de Metat. & Epid. lib. 12. Prærogativa l. 7. C. de
Testam. Mil. Concessio denique & indulgentia l. 1. in pr.
ff. de Test. Mil.

VIII.

Quibus discussis haud difficulter talis subjungi poterit
definitio, quod scil. Privilegium Militare sit jus singulare
feu Proprium, circa Personam, Res & Actiones Militum,
contra Jus commune ab Imperatoribus Romanis æquita-
tis & utilitatis causâ legitimè introductum. *Eneck. de Pri-
vil. Mil. Lib. 1. c. 28. n. 23.* Aliter definitur à *Bocer. in tr. de
Jur. Pugn. Lib. I. c. 19.* quem vide.

IX.

Definitionem comitatur divisio. Distingvuntur au-
tem Privilegia Militum in prohibitiva & permissiva: sunt
enim nonnulla, quæ militibus id, quod Paganis Jus Com-
mune interdicit, permittunt, ut in *t. t. ff. & C. de Test. mil.*
sunt iterum nonnulla, quæ militibus id, quod cæteris Jus
Universale permittit, interdicit, ut in *l. 7. 9. & 13. C.
de procur.* Deinde dividuntur in ea, quæ vel ipsis mili-
tum personis commodum acquirunt, vel in libera qua-
dam, non omnibus Juris Civilis Regulis subjecta, actio-
ne & dispositione consistunt, *Bocer. d. l.* Utriusque ge-
neris

neris exempla sequens Privilegiorum suppeditabit enumerationem.

X.

Cum verò antea memoratum sit, Privilegia in genere considerata esse tum Realia, tum Personalia, merito solliciti erimus, cuinam Juri Privilegium Militare sit accendum, an Personali, an Reali? Et, missis verborum ambagibus, Privilegia Militum omninò esse Personalia, intrepidè assero. Personæ siquidem, quæ hunc præcipuè favorem meruit, succurritur *l. 42. ff. de admin. & peric. Tut. fac. l. 1. C. de restit. mil. & l. 3. §. 1. ff. de Muner.*

XI.

Nunc bonis avibus ad ipsam Militarium Privilegiorum enarrationem, annexa cujuslibet ratione, progressum adornabo. Numerum autem eorundem, quousque se extendat, (cum aliqui viginti duo, ut *Bart. ad L. Neg. enim. ff. de testam. mil.* aliqui plura faciant, quos inter *Enenck. per tot. Lib. 2. d. tr. triginta septem recenset,*) anxie investigare, è re haud erit. Mihi in præsentiarum volupe est, ex numerosa illorum farragine optima & hodiènum magis usitata seligere atque enucleare.

XII.

Privilegia itaque Militum his concepta verbis propono, atque hac via dispono: I. Milites Juris ignorantia non læduntur *l. 1. C. de J. & F. Ignor. l. 9. §. 1. ff. eod. l. ult. C. de Jur. Delib. l. 1. in pr. l. 40. §. ult. ff. de Test. Mil. l. 3. C. eod. & l. 40. ff. de admin. & peric. Tut.* Causam hujus Privilegii vid. supra in hujus *Sect. th. 5. in med.* Quò pertinet elegantissimus *Taciti* locus in *Agric.* Credunt, ait, plerique, militaribus ingeniis subtilitatem deesse, qua castrensis Jurisdictio secura & obtusior, ac plura manu agens, callidi-

calliditatem Fori non exercet. Cæterùm cùm hoc Privilegium de Juris Ignorantia loquatur, Jus Positivum intelligi debet, non Naturale: Jure enim Naturali omnes ligari certum est, §. 2. §. 4. *J. de Adopt. l. pen. C. de Legit. Hered. l. 47. in pr. ibi*: Consentimus enim Naturæ *C. de Episc. & Cler. l. 188. §. 1. de R. J.* Sic quoque in iis, quæ ad Disciplinam militarem, ipsamque pertinent militiam, Juris Positivi ignorantia militibus nullo modo prodest, hæc siquidem scire omnes milites tenentur *l. 7. §. 13. l. 6. & t. t. ff. de Re mil. Add. Dn. Hahn in Obs. ad Wesenb. tit. ff. de J. & F. Ignor. n. 3. p. 161. Dn. Wisenb. Disp. π. 43. th. 23. part. pr. & ab eo citatus Cujac. ad l. 37. ff. de minor. & Libr. Obs. 14. O. 39.*

XIII.

II. Milites alieno nomine Procuratores ne fũnto §. ult. *J. de Except. l. 7. 9. & 13. C. de Procur. l. 8. §. 2. l. 54. ff. in pr. eod. l. 5. C. de Condict. ob caus. dat. & l. 31. C. Locat.* Cujus Privilegii hæc redditur ratio, quia milites propter utilitatem publicam & disciplinam militarem à signis & armis, adeoque munere suo, per negocia & lites privatorum avocari non debent *Donell. lib. 18. Comm. J. C. c. 1.* Hæc autem assertio quasdam patitur exceptiones: Una est, nisi milites causam numeri seu cohortis suæ suscipere velint; hoc enim casu admittuntur *d. l. 8. §. 2. ff. de procur.* Nec quicquam huic l. adversatur *d. l. 7. C. eod. cum §. fin. J. de Except.* ubi traditur, quòd militi non permittatur pro patre, vel pro matre, vel etiam pro Uxore suscipere pro-curationem, ne quidem ex sacro Rescripto. Resp. enim, Miles non unius, pluriumve ex suis commilitonibus, sed universi numeri, in quo militat, Procurator esse potest, cùm hæc res non sit aliena à dignitate militiæ, verùm potius

tius ad ejusdem commodum & utilitatem referatur; ne alioquin, quod in favorem & honorem militiæ constitutum est, in ejus odium ac incommodum retorqueatur contra *l. 6. C. de Leg. l. 35. ff. eod. & l. pen. in pr. ad SC. Trebell.* Altera exceptio est, nisi milites procuratorio nomine causam, adversario patiente, nec excipiente, eo usque sint persecuti, ut *L. contestati fuerint*; tunc enim ratione militiæ amplius repelli nequeunt *d. l. 8. §. 2. ff. de procur. & d. l. 13. C. eod.* idque ideò, ne Judicia fierent elusoria contra *l. 75. ff. de Judic.* tum etiam, quoniam per *L. contestationem* milites litis Domini facti sunt *l. 22. & l. seq. C. de Procur.* Confer *Hunn. in Resol. ad Treutl. Vol. 1. Disp. 9. tb. 6. q. 38.*

XIV.

III. Milites suum & proprium Judicem habent, Magistrum nempe seu Ducem militum, sub quo militant, in omnibus tam civilibus, quam criminalibus causis *l. 6. & ibid. Gl. C. de Jurisd. omn. Jud. l. 1. C. de exhib. & transm. reis. l. fin. in pr. C. de Re mil. l. 2. C. de off. Mag. Mil. sive militares ex fuerint, sive non l. 2. C. ubi quis decur. sive utriusque Litigantium milites fuerint, sive inter privatum Actorem, & Reum militarem causa vertatur d. l. 6. C. de Jurisd. omn. Jud.* Quis hodiè sit militaris Judex, non tam ex Libris & Jure scripto, quam Usu & ratione hodiernæ militiæ discendum. Est autem primus atque adeò summus & plenissimus eorum Judex Imperator seu Dux summus Belli, cujus auspiciis ac nomine universum geritur Bellum, Germ. *der Kriegs-Herr*: Sub hoc alii deinceps Duces & Præfecti continentur, qui & ipsi Jurisdictionem in milites habent, sed alii majorem, alii minorem: sicut enim cujusque officium amplius est, ita plus Imperii in milites

milites habet, *Jul. Clar. Lib. Sent. §. fin. qu. 35. n. 24. & q. 38. n. 4.* Sic Equites hodiè coram Pratore Rerum Capitalium Equestri, vel Magistro Equitum, hujusq; Vicario, **dem Rittmeister oder seinem Leutenant**; Pedites verò coram pedestri rerum capitalium Pratore vel Magistro Peditem, hujusque Vicario, **dem Captain oder seinem Leutenant** / sortiri Forum, experientia testatur. *Vid. B. Dn. D. Arumæ. de J. P. Vol. 3. Disc. 8. th. 18. lit. A. Bocer. in d. tr. Lib. 1. c. 11.* Non levem hujus Privilegii causam indicat *l. ult. in fin. C. ubi de ratiocin.* quòd scil. in militari Judicio & instructio sufficiens, & nota testimonia, & verissima possint documenta præstari; item ne Milites fortissimi alieno submittendi judicio, læsionem aliquam sive dispendium patiantur *l. fin. in pr. C. de Re mil. lib. 12.* Et maximè Favor ergà milites, quo Imperatores semper ducti, adeòque summa æquitas ad hoc Privilegium introducendum ansam præbuit sufficientissimam.

XV.

IV. Milites Testimonii perhibendi causà à signis vel muneribus suis inviti evocari non debent, uti prohibet *l. 3. §. ult. ff. de Testib.* rationem simul adjiciens, quia non temerè evocandi sunt Testes per longum iter, quòd in Militibus plerumque futurum esset; tum etiam ob disciplinam militarem & occupationes bellicas, quæ ipsos abesse, aut aliis incumbere negociis minimè permittunt. In quibusdã tamen casib9 milites ad Testimonium perhibendum à legitimo Judice cogi posse videntur, veluti in Majestatis causa *arg. l. 4. C. ad L. Jul. Maj. l. 10. §. 1. ff. de Qu.* Sic si res postulat, non tantùm privatos, sed etiam Magistratus, si præsentés sint, ut & Pratorem in Judicio adulterii causa testimonium dicere, affirmat *l. 21. §. 1. ff. de Testib.*

D

stib.

stib. Potest enim nihilominus Res militaris consistere at-
que peragi, licet unus aut plures milites ad breve tempo-
ris spatium avocentur: Veritatis namque magna vis est, ad
quam eruendam per omnem viam procedendum *l. fin.*
§ 4. C. de Episcop. aud. l. 22. C. ad L. Cornel. de fals. l. 2. l. 5. C.
de Edend. l. 15. C. deliber. Caus. Ad alios quoque hoc Pri-
vilegium extendi, indicat *l. 19. in fin. pr. ff. de Testib.* illos
scilicet qui vinum, vestimenta, frumentum, aut aliquid a-
liud exercitui præbendum certa pecunia conduxerunt, &
quorum tota negociatio in militiae usum destinata est, uti
rectè hujus l. verba interpretatur *Cujac. Lib. 2. Obs. c. 23.*
Etenim sine Annona, rerumque necessariorum compa-
ratione Exercitum nec vivere, nec quicquam laude di-
gnum efficere posse, oppidò constat. Quapropter Ne-
gociatores isti hac indulgentia inflammandi sunt, quo
tanto alacrius suam operam præbere, ac huic uni studio
eò diligentius incumbere possint.

XVI.

V. Milites ob omissas professiones poena commissi non
tenentur. *l. 3. C. de Vect. & comm.* Notum enim est, de Jure Cõ-
muni mercès, improfessas, h. e. apud Publicanos non insi-
nuatas, cadere in commissum & confiscari, **die Güter / so
nicht verzollet und angezeigt werden / fallen der Ob-
rigkeit heim.** *t. t. C. de Vectigal. & comm. & ff. de Public.*
& Vectig. ipso jure quoad dominium *l. 1. l. 14. l. ult. ff. d. t. ita,*
ut quod hoc modo commissum est, statim desinat ejus
esse, qui crimen contraxit, ac proindè fraudati Vectigalis
crimen ad Heredem ejus, qui commisit, imò quemlibet
possessorem transmittatur. *l. 8. in pr. & d. l. 14. ff. eod. nec*
ignorantia prætextu quis excusetur. l. 16. §. 5. & §. 10. ff.
cod. Althus. Lib. 1. Dico. c. 133. n. 21. quoad Possessionem verò
aufse-

aufferendam sententia declaratoria opus esse: Vid. *Nobilis. Dn. Struv. in Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 39. §. 51. Gail. de P. P. Lib. 2. cap. 5. num. 4. 12. 13. seqq. §. 2. Obs. 51. num. 5. Farin. de furt. quest. 172. num. 3. §. seqq. Kœpp. decis. 50. n. 11.* Militibus tamen speciali jure ab Impp. prospectum est, ne ob omiffas professiones in pœnam commiffi incidant, dummodò postea, si quæ portoria eos debere apparuerit, exsolvant. *d. l. 3. C. de Vectig.* Quamvis enim pœna quidem commiffi miles non teneatur, à præstatione tamen vectigalium eum minimè immunem esse, monstrat *l. 7. C. d. t.* cum alias in præjudicium Fisci cederet, quo ipso Jus publicum maximè violaretur. Hoc insuper Privilegio omnes milites, etiam in Castris & Expeditionis actu non versantes, si modò in numeris existant, gaudere, cognoscitur *ex d. l. 3. C. de Vectigal. ibi: Omnibus militibus nostris, &c. Cui Beneficio nihil aliud, nisi Favorem & Curam erga militares homines, causam dedisse in propatulo est. Add. Eneck. d. tr. Priv. 10. Lib. 2. num. 4. Dn. Hahn. in observ. ad Wesenb. de Public. & Vectigal. n. 6. p. 601. §. Dn. Wisenb. Disp. 15. p. post. §. 28.*

XVII.

VI, Milites, si quid damni, dum Reipublicæ causâ absunt, acceperunt, Restitutionem intra Annum utilem, amota præscriptione medii temporis habent. *l. 2. §. t. t. C. de Restit. Mil. §. l. 15. C. ad L. Jul. de Adulter.* Milites enim, qui discedere à signis sine periculo non possunt, Reipubl. causa abesse intelliguntur. *l. 7. l. penult. ff. ex quib. caus. Maj. d. l. 2. §. seqq. C. de Rest. Mil.* Quæ absentia, quæ quis Reipubl. causa abest, cum sit Necessaria & laudabilis. *Magnif. Dn. Struv. in Synt. J. C. Exerc. 8. §. 72.* Milites hoc decoravit Privilegio: ipsa insuper æquitate svadente,

D 2

quod

quod nemini officium suum debeat esse damnosum *l. 7. ff. testament quom. aper. l. 33. §. ult. ff. ex quib. caus. Majest. l. 50. ff. de Re jud. l. 61. §. 5. ff. de Furt.* Non autem omnibus promiscuè Militibus hoc Jus concessum est, sed iis tantum, qui in expeditione occupati sunt, & quatenus, ac quamdiu in expeditione sunt: illis namque temporibus, per quæ citra Expeditionis Necessitatem in aliis locis, vel in suis ædibus degunt, minimè eos memoratum adjuvat Privilegium, uti claris verbis docet. *l. fin Cod. de Rest. Mil.* Non tamen excluduntur, qui in hybernis, præfidiis, stativisve locati sunt: ad hos enim, cum etiam sint in expeditione, ac à signis sinè periculo discedere nequeant, adeoque Reipublicæ causa abesse censeantur. *d. l. pen. ff. ex quib. caus. Maj.* pertinet quoque hoc Beneficium. Uxores item Militum (non focarias seu Concubinas, quarum odiosa est causa *l. 2. C. de Don. int. V. & U.*) isto gaudere Privilegio, non verò omnes, nec semper, sed eas solùm, quæ cum Maritis Reipubl. causa absentibus peregrinantur, ostendit. *t. t. C. de Uxor. Milit.* Tandem ad Militis quoque defuncti Heredem idem Restitutionis Beneficium transmitti, traditur *in l. 1. C. de Restit. Mit.*

XIIX.

VII. Uxor Maritum in Militia absentem expectare tenetur, usque dum certissimum de morte illius habeat nuncium *juxt. Novell. 117. cap. 11. cap. in presentia. de Sponsal. c. Dominus. de secund. Nupt. c. cum per bellicam. 34. q. 1.* Constantinus Imperator decreverat quidem antè Justinianum, ut quadriennio solùm Uxor talem necessariò expectaret Maritum *l. 7. C. de repud.* Quia verò ista lex iniquior Imperatori nostro visa fuit, correxit eandem, ac pro quadriennio constituit decennium, uti *ex Nov. 22.*

6. 14.

c. 14. elucescit. Postremò ut res adhuc melius disponere-
tur, Uxores expectare jussit, quantoscunq̄ue annos in Ex-
peditione Bellica manserit Maritus, licet nec Literas, nec
Responsum ab eo acceperit. *d. Nov. 22. c. 14.* quod & Jure
Canonico observatur. Rationem hujus Edicti ipse sug-
gerit Imperator *in d. c. 14.* quoniam videl. actibus belli-
cis occupato Marito Uxoris privationem inferre, non sit
minor pœna, quàm ab Hostibus capi. Quod enim, juxta
Salvatoris nostri Effatum, DEUS conjunxit, Homo se-
parare non debet. Jam autem prolata quandam admit-
tunt limitationem, si nempè Maritus temerè absit, nec
Maritalem in Uxorem affectum etiam requisitus osten-
dat, adeoque planè deserat eam, tunc enim de Jure Com-
muni Uxori ad secunda transire Vota consensu Magistra-
tus licitum est. *d. Nov. 22. c. 14. in verb. ille verò aut apertè
renuat Nuptias ejus, aut absolutè corbitat. Add. Dn. Wisenb.
Disput. t. 48. p. pr. §. 14. & Wesenb. in Parat. ff. de Divort.
num. 9.*

XIX.

IIX. Milites ea, quæ Focariis sive Concubinis dona-
runt, revocare possunt. *l. 2. C. de Don. int. V. & U. & l. 5. ff. de
Donat. Peculiari hoc loco favore Milites gaudent: Etenim
cum ab aliis collatæ in Concubinas donationes Jure Civili
valeant, ac revocari non possint. l. 31. in pr. ff. eod. l. 3. §. 1.
l. 58. in pr. ff. de Donell. int. V. & U. hi tamen excipiuntur,
ea nimirum de causa, ne forsitan Milites à Concubinis
suis fictis adulationibus, (quæ quia in legitimis Uxoribus.
l. 1. 2. 3. & t. t. ff. & C. de Don. int. V. & U. multò magis in
Scortis hujusmodi Militaribus timeri possunt,) deci-
perentur: Milites enim meos, ait Imper. Antonius *in l. 2.
C. d. t. à Focariis suis fictis adulationibus spoliari nolo.**

D 3

Quod

Quod Privilegium folis armatae militiae Militibus compe-
tere, & nullo modo ad Ceticos esse extendendum, exin-
dè patet, quia Concubinæ seu Culinariæ Clericis prorsus
sunt interdictæ. *c. nullus misam, distinct. 32. c. fin. Dist. 51.*
Quomodo igitur Donationem revocare poterunt illi,
quos deliquisse constat? Non enim præmium quis re-
portare debet, undè poenam meretur. Dissent. alias cum
Bart. & Salic. ad d. l. 2. C. de Don. int. V. & U. Schneidevv.
ad §. alia 2. §. de Donat. num. 56. qui hoc Privilegium ad
Clericos quoque, Doctores item & Advocatos spectare
asserit. Ne autem aliqua suboriatut dubitatio, an etiam
hodiè huic Privilegio Militari, sublato nempè apud Chri-
stianos concubinato, locus sit, adeoque ociosum foret,
hanc obsoletam materiam dilatare, idcirco quærere lu-
bet: Utrum militibus nostris Focarias ejusmodi aut Con-
cubinas habere liceat? Quod affirmatur ipsa experientia,
ipsaque Ratione. Cuius enim notum esse opinor, milites
hodiernos Romani Imperii, si aliàs mariti non sint, im-
punè focarias secum circumducere, neque istos propte-
reà unquam à Magistratu suo punitos fuisse auditum est.
Multæ siquidem in Conventibus Imperii circa milites fa-
ctæ constitutiones extant: in nulla verò idipsum prohi-
bitum invenitur. Hoc tamen eis in Expeditione tantùm,
& dum militant, non diutius, indulgeri, idque propter
commoditates quasdam & majora scelera evitanda non
tam à Principibus concedi, quàm conniveri existimamus,
uti ritè non minus, quàm scitè hanc controversiam deci-
dit soepius laudat. *Enenck. d. tr. Priv. 14. n. 7.*

XX.

IIX. Miles Tutor vel Curator esse non potest. §. 14. l.
de Excus. Tut. vel Curat. l. 4. l. 8. C. qui dar. Tut. poss. §. t. 8.
C. de

C. de Legat. hujus Ratio non obscura est, quia milites armis, non Negotiis privatis occupari oportet, ut numeris & signis jugiter inhaerentes, Rempubl. à qua aluntur, ab omni Bellorum Necessitate defendant. *l. 31. C. Locat. Veteranus* tamen, quoniam miles amplius non est, sicque plus otii habet, Tutor esse potest, si velit, ideoque indiget Excusatione. *l. 2. C. de Excus. Veteran.* Add. *Ant. Fab. Tom. 1. Jurispr. Papin. t. 24. princ. 1. p. 1114. seqq.* Cui asserto non refragatur. *l. 23. §. fin. ff. de Excusat.* ubi generaliter milites in Castris merentes, excusationem habere respondentur. Loquitur enim oppos. text. de iis, qui in Castris quidem degunt, milites tamen non sunt, quales sunt Calones, Fabri, & alia opera Exercitui destinata. Vid. *Dom. Lib. 3. Comm. J. C. c. 9. p. 173. n. 40. & Harpr. in Comm. I. ad §. 14. de Excus. Tut. vel Curt. n. 12.* Idcirco etiam nostri temporis milites, qui non Armis, sed otio dediti sunt, hac immunitate non gaudent; secus, si armis quidem vacent, sed in obsequio Principis sint, ita, ut quasi in prociectu stantes ad illius nutum cum hoste congregi teneantur *Schultz. in Synop. Inst. de Excus. Tut. vel Cur. lit. f. Schneidew. ad Instit. d. t. §. 14. n. 4.* Hanc porro à Tutela immunitatem habent milites coelestes, utpote Clerici, & Ministri Ecclesiarum, seu Theologi. *l. 52. C. de Episcop. & Cler. c. 40. caus. 16. quest. 1.* Militans enim DEO non debet se implicare negotiis secularibus. *c. 1. in fin. extr. Ne Cler. vel Monach. sec. neg. se immisc.* Clerici itaque inviti Tutelam aliquam suscipere non coguntur: possunt tamen, si velint suscipere Legitimam Tutelam. *c. 26. Dist. 86. §. d. l. 52. junct. Authent. seq. C. de Episc. & Cler. nisi vocentur ad Tutelam miserabilium personarum: nam ad hanc suscipiendam Clerici in subsidium tenentur. secund. Gl. in d. c. 26. Add. Schneidew. d. l. n. 3.*

IX. Miles non amplius, quàm facere potest, solvere cogitur. *l. 6. in pr. l. 18. ff. de Re jud. l. 7. ff. de Castr. pecul. h. e. non totum, quod habet, ei extorquendum est: sed & ipsius ratio habenda, ne egeat. l. 173. in pr. ff. de R. I. l. 19. §. 1. in fin. ff. de Re jud.* Quamvis enim regulariter Executio in singula Debitoris Bona fieri possit, ita ut ei non relinquatur, undè vivere queat. *juxt. l. 1. qui bon. ced. poss. Wesenb. p. 1. Cons. 50. num. 17. Coler. de Process. Execut. p. 2. c. 3. num. 116. Dn. Carpzov. part. 1. Const. 32. Defin. 15. num. 1.* nonnullas tamen personas, quibus parcendum est, ne planè denudentur, excipit *l. 16. l. 17. l. 19. l. 22. §. 1. l. 30. l. 41. & l. 49. ff. de Re jud. l. 63. ff. pro Soc. l. 33. ff. de Donat. & d. l. 173. de R. I. Vid. Schneidew. ad §. sed & si quis. 38. Inst. de Act. num. 2. Harpr. in Comm. Inst. d. l. num. 1. & Magnif. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Ex. 44. th. 18.* Præprimis autem militibus hoc Privilegium, quod vocant, Competentiæ Dignitatis & Existimationis, itemque etiam salutis suæ defendendæ causa concessum esse, nullus ambigit. Hoc tamen controversia non caret: Quali in Debito miles isto Privilegio fruatur, an saltem in militari, an verò in omni? Prius *Gl. ad d. l. 6. ff. de Re jud.* affirmare videtur. *arg. §. 3. I. de Testam. Mil.* sed non adeò benè. Textus enim iste non universè de omnibus militum Privilegiis, sed de eo tantùm, quod habent in Testamenti factione, loquitur; huc ergò applicari non potest. Posteriores itaque arripimus sententiam, quod scil. miles isto Beneficio in omni Debito sive in militia, sive extra eam, tam alterius rei, quàm militiæ causâ contracto, gaudeat, ut hujus gratiâ, quantum facere potest, conveniatur, sed quamdiù miles & in militia est. Ratio talis pro nobis militat,

rat, quia Leges, id Privilegium militi tribuentes, indistin-
ctè & absolutè loquuntur, nec ulla contrarium asserens
reperitur: ubi verò Lex non distingvit, nec nos distingvere
debemus: Imò expressè nostra assertio stabilitur per *l. 7. ff.
de Castr. pec.* Hujus Privilegii milites quoq; Togatos, Do-
ctores sc. participes esse, tradit *Magnif. Dn. Richter. Dec. 24.
n. 3.* & ab Eo allegat. *Berlich. p. 1. Concl. 80. n. 53. & 54.* qui
hoc Beneficium Competentiæ Doctoribus saltem Juris,
non verò Theologis & Medicis competere asserit, quod
tamen ita limitat, dicens, reliquarum Facultatum Pro-
fessores hoc Privilegium à Dd. Juris esse mutuatos, & sin-
gulari Gratia Imperatoris ad Exemplum Jctorum conse-
cutos, frustra dissent. *Duaren. in l. 6. ff. de Re Jud. Hænon.
Quest. illustr. Disp. 21. q. 4. lit. C. & Harpr. Comm. 1. d. l. n.
13.* qui Privilegium istud Advocatis, Dd. & Clericis pror-
sus denegant. De Clericis autem, vid. *Dn. Carpz. part. 1.
Const. 32. Def. 18.* cujus Deciso subscribimus.

XXII.

X. Milites, eorumque Liberi nec tormentis, nec ple-
bejorum pœnis subjiciuntur. *l. 8. C. de Quest. l. 3. §. 1. ff. de
Re Mil. l. 5. C. de Pœn.* & universè Privatis mitius puniun-
tur. *l. 32. in fin. C. Locat.* Imò non valet Consuetudo vel
Statutum, disponens, quod milites, Dd. vel Decuriones
possint torqueri, uti post *Bart. ad l. 33. num. 2. C. de Decur.
lib. 10. Bocer. tr. de Quest. & Tortur. cap. 4. n. 78. & Ludov.
Carer. in Prax. rer. crim. tr. de indic. tort. §. circa tertium.
num. 20. & 25.* docet *Everhard. in Top. à Mil. arm. mil. ad
mil. vel mil. num. 4.* Haud enim potest induci Consuetu-
do contra Legem Consuetudini derogantem. *Auth. Casfa
& irrita. C. de SS. Eccles. Auth. Navigia. C. de Furt. c. ult.
de Consuetud. in 6. X. A zu Augspurg. de Anno 1530. §.*

E

Nache

Nachdem auch anetlichen Orthen / &c. Schrad. de Feud. part. 9. part. princ. Sect. 3. num. 98. Neque huic traditioni resistit, quod hoc de non torquendis militibus Privilegium in multis Regionibus consuetudine abolitum sit, & sublatum. Tiraqu. in tr. de poen. temper. aut remitt. caus. 31. num. 16. Boër Decis. 163. & Rebuff. in Auth. Habita. in verb. Professoribus. C. Ne Filius pro Patre. Etenim non quid fiat, sed quid fieri debeat, considerandum est l. 12. ff. de Offic. Presid. c. cum causam. 17. vers. quia igitur. extr. de Elect. & Elect. potest. Secus est, si rei fuerint Majestatis, aut alterius atrocissimi Criminis, tunc enim Torturæ subjiciendos esse milites, præcipit l. 8. l. 11. l. 16. & l. seq. C. de Quæst. l. 4. C. ad L. Jul. Maj. Hæc quoad Jus Civile. De Jure autem hodierno istud Privilegium iis tantum, qui Equites, seu Capitanei & Ductores militum appellantur, non verò militibus privatis, sivè gregariis indulgeri, indicat Clar. Lib. 5. Sentent. 9. fin. quæst. 64. n. 18. Evolv. Dn. Wisfenb. Diss. π. 37. part. pr. th. 6. Hoc insuper Privilegio Doctores præsertim gaudere cujuscunque facultatis latè explicant Gomez. tom. 3. var. resol. c. 13. n. 3. vers. it. reperitur prohibitus Doctor, &c. Guido de Suzar. de indic. & tort. n. 108. Ghirland. in tr. de Quæst. & Tort. qu. 6. n. 3. & Clar. in Pract. Crim. §. fin. q. 46. n. 16. ubi ita omnes tenere scribit.

XXIII.

XI. Arma militibus non in militia tantum, sed extra illam permessa, l. 15. ff. de Re Mil. jubent enim hoc Leges omnes, rationesque illæ, quæ armis milites perpetuò occupari atque inhærere mandant. l. 31. C. Loc. l. 22. in pr. C. de Jar. Delib. Nov. 85. c. 1. vers. sed neq. Menoch. Cas. 394. num. 67. 68. Althus. Lib. 1. Dicoct. c. 106. num. 11. Gestatio quodæ

quoque armorum concessa est ei, qui in Usum Venationis, vel itineris, vel Navigationis arma Domi aut in villa possidet, & qui eadem promercii causa habet, vel ex hereditate accepit. *l. 1. & 2. ff. ad L. Jul. de Vi publ. 2. F. 27. §. si quis Rusticus. & §. Mercator.* Proinde & illi, qui salutis suæ tutandæ causâ telum gerit, dum peregrè proficiscitur. *d. l. 1. l. 10. ff. eod. l. ult. C. de prepos. sacr. cubic. Tiraq. de Nobilit. c. 20. n. 69.* item Magistratui & eorum officialibus, arma gerere licet. *l. 3. §. 3. ubi Bl. ff. de offic. Praefect. Vigil.* De Doctoribus autem, quorum arma sunt Codices & Leges, utrum his arma gerere liceat? controvertitur. Et quamvis Jure scripto Justiniano negativa sententia veterior videri possit. *l. un. & ibi Cuj. C. ut arm. us. insc. Princ. lib. 11. & d. Nov. 85.* affirmativam tamen Usus & Consuetudo comprobavit: idcirco ea servanda erit per *Nov. 89. c. 15. in verb. quoniam & non utendo perempta est. l. 37. l. 38. ff. de LL. Barbat. in l. 6. C. de Profess. & Medic. Add. Arithmetica. Disput. 12. Colleg. Crimin. tb. 1. ad lit. B. in fin. & Bocer. Clasf. 4. Disput. 13. tb. 17.* Adhæc Dd. omnibus ferè gaudent Privilegiis, quæ militibus non propter imperitiam Juris, sed Dignitatis vel Utilitatis publicæ causa indulta sunt *arg. l. 14. C. de advoc. div. judic.* Nec desunt, qui Jus arma ferendi Doctoribus duntaxat actu profitentibus, reliquis non item concedere videntur, quorum tamen opinionem nihil moramur; probabilius enim est, idem jus etiam in aliis Dd. publicè Jura non profitentibus, maximè verò in Advocatis, qui & ipsi militant. *d. l. 14. C. de advoc. div. Jud. habere locum. Gvid. Pap. Decis. 88.*

XXIV.

XII. Milites immunitatem à muneribus habent *l. 3. §. 1. & 10. l. 4. §. ult. l. fin. §. penult. ff. de Muner.* Cùm autem

E 2

tem

rem munera distingvantur in PERSONALIA l. 1. §. 3. l. 3. §. 3. l. 18. §. 1. ff. eod. quæ iterum vel privata sunt. l. 14. §. 1. junct. l. 18. §. 28. ff. d. t. vel publica. d. l. 14. §. 1. Excellentisf. Dn. Struv. Synt. Jur. Civil. Ex. 50. th. 70. seqq. PATRIMONIALIA d. l. 1. §. 3. l. 6. l. ult. §. 18. 21. ff. d. t. l. 4. de Cens. & MIXTA l. fin. §. 26. 27. ff. de Muner. dispiciendum erit, à quibus muneribus milites excusentur. Et seposita differendi prolixitate, dicimus, milites personalium. l. 9. §. 1. l. 7. l. 18. §. 4. l. ult. §. pen. ff. eod. l. 10. §. 2. ff. de Vacat. & mixtorum munerum, (quale est angariorum præstatio, quæ personale munus. in l. ult. §. 4. de Muner. & rei cohærens in l. 11. ff. de Vacat. appellatur,) habere immunitatem; non item eorum, quæ sunt Patrimonii, præter Hospitis recipiendi onus. d. l. 10. §. 2. ff. de Mun. l. fin. §. penult. eod. Porrò hodiè alias quoque Personas singulari Principis indulgentia à muneribus personalibus & patrimonialibus, Clericos nempè, Nobiles, Senatores, Consiliarios Principum, Professores, Doctores Legum aliarumque Facultatum, Advocatos itidem, horumque viduas ac liberos (excepto tamen casu summæ necessitatis,) esse immunes, eruditè ostendit Magnif. Dn. Struv. d. l. th. 73. & 74. quem vid. & txx. Dd. que ab eo citatos, cujus præcepta sequimur.

XXV.

XIII. Milites liberam Testamenti factionem habent, h. e. nuda Voluntate, sine ulla solennitate, & quocunque modo voluerint, testari possunt t. t. I. ff. & C. de Testam. Mil. dummodò de eorum Voluntate constet, & quod animo Testamentum faciendi (non enim si sermone familiariter alteri dicat: *Te Heredem facio*, statim erit testamentum. §. 1. l. eod.) verba protulerint. Ratio hujus Privilegii potis-

potissima videtur nimia militum imperitia, ex periculo-
sa armorum pro commodo Reipubl. susceptorum occu-
patione proveniens *pr. I. eod. l. 40. ff. d. t. l. 3. C. eod. l. 19.*
C. de Pact. l. un. ff. de Bon. Possess. ex Test. Mil. Militibus au-
tem solum in Expeditione seu Castris occupatis ita testari
conceditur. *d. pr. §. 3. I. de Test. Mil. l. 20. l. 38. §. 1. l. 42. l. 43.*
ff. b. t. l. 1. l. 16. l. pen. C. eod. l. ult. C. de Restit. Mil. Non enim
militum Testamenta, sed quæ à militibus facta sunt, con-
firmari, ait *l. 25. ff. de Test. Mil.* h. e. non illa Testamenta,
quæ miles antè, post, vel extrà militiam fecit, sed illa tan-
tùm, quæ in ipsa militia fecit, rata habentur. Forma
hujus Testamenti est duplex, vel enim fit in scriptis, vel
sine scriptis. *l. 24. ff. d. t. illo modo, si miles quid in Vagi-*
na, aut Clypeo Literis sanguine suo rutilantibus annota-
verit, aut in pulvere gladio, in ipso prælio moriens, scri-
pserit, Voluntate ejus stabilis rataque erit. l. 15. C. de Test.
Mil. Hoc modo, quandò in Castris degit, tunc enim co-
ram duobus ad minimum Testibus Voluntatem suam ex-
ponere necesse habet, ut ita Fraus captantium Testamen-
ta evitetur *arg. §. 1. Inst. b. t. d. l. 24. §. l. 40. in pr. ff. eod.*
l. 12. ff. de Testib. c. in omni. 4. extr. eod. Bocer. de Jur. Bell.
Lib. 1. c. 25. Donell. Lib. 6. Comm. J. C. c. 28. p. 108. B. Andr.
Gerhard. Decad. 7. quest. 6. in fin. Gail. 2. Obs. 118. num. 17.
Vasq. Lib. 3. de Success. creat. §. 24. n. 14. seq. Privilegia au-
tem militum circa testandi solennitatem multifaria
vid. apud *Magnif. Dn. Struv. in Synt. Jur. Civ. Ex. 34. th. 7.*
§. 8. §. Dn. Wisenb. Disp. π. 58. p. pr. th. 2. §. 3. quæ nunc
transcribere non vacat. Dispiciemus saltem, quid hodiè
Ulus fori permittat. Tres itaque melioris intellectus er-
gò cum *Nobil. Dn. Hahn. in observ. ad Wessenb. b. t.* poni-
mus Casus: *Primus est, ubi milites in ipso Conflictu, Ex-*

peditione & discrimine belli sunt constituti, & hi, quomodo-
docunq; voluerint, testari queunt. *d. l. 15. C. b. t. R. A. zu*
Cölln de Anno 1512. tit. Von Testamenten. §. und sollen die
Notarien. in verb. Aber die Ritter/die in Übung des Streits
seyn/ mögen ihr Testament machen ohne alle Solenität oder
Form / wie sie wollen. Et ita M. Maj. Anno 1624. ad qua-
stionem Antonii von Querheimb zu Nienburgk. in Dicaste-
rio Jenensiresponsum fuisse, docet Magnif. Dn. Richter. De-
cis. 38. num. 10. Add. Reusn. de Testam. part. 5. c. 10. n. 13. seq.
Secundus est, quando non sunt in conflictu neque Actu,
neque potentia, licet in Castris existant, & tunc ad mini-
mum duos adhibere testes debent propter cessationem
praesentis periculi, & quod facilius duos Testes in Castris
requirere possunt. *Gail. d. l. Vid. R. A. de Anno 1612. sub tit.*
Von Testamenten. §. Und sollen die Notarien. ibi: Oder
von Rittern / die zu Felde / und doch nicht im Streit wären/
denen wird solche Anzahl der Zeugen nachgelassen bis auff
zweene. Magnif. Dn. Richter. d. l. n. 11. Tertius est, quan-
do milites Domi, vel aliis in locis extra Castra & Expedi-
tionem militarem degunt, licet in matriculam militan-
tium recepti sint, quales sunt milites stationarii, Limita-
rei, Praesidiarii, Die auf den Gränz-Häusern und in Bes-
sungen liegen/ vel in Locis hybernis commorandi potius,
quam pugnandi causâ constituti, die in den Winterquar-
tiren liegen; hi enim omnes jure communi testari tenen-
tur *l. 24. C. de Test. Mil. §. 1. f. eod. Vid. R. A. zu Cölln d. l.*
vers. Aber diejenigen Ritter / so nicht in solcher Übung und
Streit / noch auch zu Felde liegen / sollen ihr Testament
nach gemeinen Rechten machen. Dn. Carpz. p. 3. Const. 4.
Defin. 28. Aliàs enim Testamentum non subsistit, atq;
hoc aliquot probatissimorum Collegiorum responsis
com-

comprobavit *Magnif. Dn. Richt. d.l. n. 13.* Eos verò milites,
qui per modicum tempus à Castris absunt, & propositum
statim revertendi habent, Jure militari etiam extra ca-
stra testari posse, tradit *Bocer. d.tr. Lib. 1. c. 25. Dn. Carpz.*
d.l. n. ult. Atq; ita in Scabinatu hujus l. M. Maj. 1622. pro-
nunciatum esse, refert idem *Magnif. Dn. Richt. d.l. n. 14.*
Add. Celeberr. Dn. Struv. d.l. th. 3. & 4. & Nobilis. Dn. Job.
Strauch. Dissert. π. 19. Aph. 30. Hoc loco non inconveni-
enter Q. an Equestres Milites, quos Germani *Ritter* vo-
cant, ut puta Equites Aurati, Hierosolymitani, Rhodii,
Melitenses, *die Maltheser Ritter* &c. (quorum benè mul-
tos recenset *Limnæ.*) Privilegium jure militari testandi
habeant? Quod neg. quia in hac causa non habetur ra-
tio nudæ dignitatis aut militiæ honorariæ. Confer *Dua-*
ren. ad t. ff. & C. de test. mil. c. 2. Emenck. de Priv. Mil. Lib. I.
c. 6. n. 1. Porrò Q. An milites Togati, liberalium nempè
artium Professores & Dd., Assessores, Advocati & Cleri-
ci jure militari testari possint? Negativam amplectimur
sententiam. Turpe enim est causas oranti, Jus, in quo
versatur, ignorare *l. 2. §. 43. ff. de O. J. & in eis ignorantia*
juris non est tolerabilis Dd. ad l. 1. C. de J. & F. Ign. Atque
ita communiter interpretes sentiunt. *Schneidvv. ad pr. J.*
de test. mil. n. 12. B. D. Arumæ. ex 7. th. 9. Donell. Lib. 6. Com.
J. C. c. 28. p. 105. Harpr. ad pr. J. de test. mil. n. 17. Sichard.
in rubr. C. de test. mil. n. 7. Ant. merend. lib. 6. Controv. Jur.
c. 8. n. 16. p. 415. quibus suffragatur Præ-Nobil. atq; Consul-
tis. Dn. Preses in Animad. ad Suth. Disf. 7. t. 60. Disf. Gail.
2. Obs. 118. n. 15. Extenditur tamen istud Privilegium etiam
ad Concionatores, Consiliarios, Medicos, & Venalicios
Castrenses, imò ad alios, qui, licet non Milites, in Hostico,
vel alio periculo in castris constituti sunt, & ibi decedunt
l. fin.

l. fin. ff. de test. mil. add. l. un. ff. de Bon. poss. ex test. mil. vid. Magnif. Dn. Struv. d. l. tb. 4. c. fin. & Excell. Dn. Strauch. d. l. circa fin. Præterea de pluribus Jure Civili circa testamenta & Hæreditates militibus concessis Privilegiis consul. citati *Dd. & præprimis Bocer. d. tr. Lib. I. à cap. 21. usq. ad 28. it. Enenck. d. tr. Lib. 2. Priv. 16. & 17.*

XXVI.

XIV. Qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per Gloriam vivere intelliguntur, & eò non minus Patri, quàm vivi Liberi ad excusationem munerum profunt *pr. J. de Excus. Tut. l. 18. ff. eod. l. ult. in pr. ff. de Vacat. & Excus. mun.* Cùm n. aliàs defunctos Liberos Patri se excusaturo haud prodesse constet *l. 2. §. 4. ff. de Excus. d. pr. J. eod. & d. l. ult. pr. ff. de Vacat.* solos tamen excipit Imperator, qui in Acie ceciderunt, adeò, ut, etsi corpora illorum non appareant, solenni tamen & legitima ratione lugeri debeant, uti præcipit *l. ult. §. 1. ff. de his qui not. infam.* Hinc Athenienses quanto cum honore ac solennitate bello peremptos publicè sepeliverint, ac liberos eorum publicè aluerint, prolixè *Thucyd. Lib. 2.* describit. Et plena sunt Historicorum volumina, quantis curis, quantaque religione apud moratiores gentes in præliis belloque interfectorum corpora recuperata atque sepulta fuerint. Splendidissimum namq; genus mortis esse, pro Patria mori, testimonio Solonis jamdudum comprobavit *Herod. Lib. I. Histor.* Caussam itaque Nobilissimi hujus Privilegii inæstimabilem ac Heroicam planè, qua Militantes fulgent, esse dignitatem utilitatemque, nemo non videt. Cæterum quod hic de eo, qui in Acie belli cecidit, proditum est, interpretes quidam ad illum quoque pertinere non absurdè censent, qui in acie lethaliter vulneratus, extra eam decessit: cum quæ in continenti
fiant

fiant, inesse credantur *l. 40. vers. Dicebam. ff. de Reb. cred.*
& comparari hac inter se soleant, *mortuum videl. statim,*
& *lethaliter vulneratum esse l. F. 5. c. 1. in pr. Add. Job. Fab.*
ad pr. J. b. t. & Petr. Heig. ib. n. 12. 13.

XXVII.

Propositis igitur pro re nata principalioribus Militan-
tium Privilegiis, moderno statui non repugnantibus, an-
tequam eorundem perlustremus amissionem, de Vete-
ranis paucissima præmittimus, cum hodiè neque illorum
nomen, neque rem evanuisse palam sit. Veterani er-
gò dicuntur, qui post 20. annorum stipendia impleta ho-
nestam vel causariam missionem acceperunt *l. 8. ff. de Ex-
cus. l. 1. C. de Excus. Veteran. l. 7. C. de Fid. instrum. l. ult. C.*
de his, qui non implet. stip. lib. 10. l. 2. C. de re mil. lib. 12. im-
munitatibus quibusdam & Privilegiis gaudent; Nimir.
excusationem habent à muneribus personalibus l. 1. l. 2. ff.
de Veteran. non realibus l. 2. in f. l. 4. b. t. A vectigalibus
autem & Patrimoniorum oneribus liberi haud sunt d. l. 2.
§. 1. l. 4. ff. eod. Wesenbec. in Parat. b. t. n. 1. Idem Juris es-
se & hodiè in Veteranis, ut neque à Germanici belli con-
tributionibus existant immunes, nec ab onere Hospita-
tionis, quod itidem reale est, seu Patrimonii l. 11. ff.
de Vacat. & Excus. Mun. l. 4. pr. b. t. asserit Dn. Habn. in
Obs. ad Wesenb. b. t. n. 2. & Wissenb. Disp. τ. 49. th. 30. Dein-
dè eos quoque à cæteris in pœnis separari, ait l. 1. ff. b. t.
Add. Emenck. de Priv. Veteran. Priv. 3. n. 2.

SECTIO III.

De

Militarium Privilegiorum amissione.

F

Th. I.

Th. I.

AD finem properantes, restat adhuc, ut paucis etiam attingamus Privilegiorum militibus armatis concessorum amissionem. Cum enim nihil in hoc seculo possit esse constans ac perpetuum *l. 33. ff. de Servit. V. P. l. 8. de confirm. Tut. l. 2. §. 18. ibi: humani Juris conditio &c. C. de V. J. E. in his præsertim, quæ à voluntate & facto Hominis dependent l. 19. C. de Test. l. 5. C. fam. ercisc. Nov. 7. c. 2. pr. in verb. Quid enim erit stabile &c.* Ista quoque Privilegia finem aliquem habere, nec semper vim eandem atque auctoritatem retinere, dubium non est. Privilegiorum aliàs in genere amittendorum modos *Gl. in c. privilegium. ii. q. 3. & cap. suggestum. de Decim.* quidem his comprehendit versibus:

Indultum tollit contemptus, Crimen, abusus,

Oppositum factum, damnum, tempus variatum.

Nos verò distinctiùs progredi cupientes, principales abolendi vel suspendendi Privilegii causas residere dicimus *vel in conditore Privilegii; vel in Privilegiato, vel in ipsius Privilegii naturâ aut conditione; vel denique in accidente quodam extrinsecus superveniente.* Quomodo hæc nostro applicari possint negotio, per transennam quasi dispiciemus.

II.

Quod primam amittendi causam attinet, notum omninò est, cujus sit condere Privilegia, ejusdem etiam esse tollere, juxta communes Juris Regulas *l. 1. ff. pro derelict. l. 100. & 35. de R. J. l. 8. de Solut.* Contrariorum enim eadem est disciplina atque subjectum, & cui unum competit, eidem utique & alterum *l. 25. §. 6. ff. Locat. l. fin. in f. de Legat. 3. l. 1. in pr. ff. de his qui sui Jur.* Quare Imperator

rator, à cuius suprema potestate hæc militum dependent Privilegia, eadem quoque abrogare aut mutare potest, sed ex causa certa & probabili: Quod exemplo suo confirmat Justinianus in *l. ult. C. de test. mil.* ubi privilegium, quo antiquitus Pupillo Militi Tribunatum adepti testari permittebatur, tollens, gravissimam sui facti causam allegat.

III.

Respectu Privilegiati Militum Privilegia abolentur 1. *Morte ipsius*: Sunt enim personalia, ideò cum persona extinguntur, exemplum est in suprà adducto *Privil. Mil. 1. Sect. 2.* 2. *Renunciatione*. Nam & milites suis privilegiis, quatenus sua, renunciare possunt *fac. l. 3. ff. de test. mil.* Exemplum traditur in *Privil. IV. 3. Delictis*, de quib. vid. *Schönb. Lib. 6. Politic. t. 29.* Exemplum præbet *Privil. III.* Sic vagabundi milites *die Garte- und Herrnlose Knechte* / qui in pagis atque vicis vagantur & grassantur, rusticorumque anseres & gallinas furantur, Privilegia sua amittunt, *Vid. N. A. zu Augspurg de Ann. 1555. S. Und damit angeregte.* 4. *Abusu*. Exemplum est in *Privil. VI.* Sui enim Judicis Privilegium minuit, si quis eo animo militiæ se dedit, ut sub obtentu militiæ preciosiorem se adversario faceret *l. 4. §. 8. ff. de Re milit.*

IV.

Tertium amittendi Privilegii modum in ipsius Privilegii Natura aut conditione consistere asserui. Quo pertinet temporis aut alterius causæ conditio, Privilegio ab initio adjecta in eum finem, ut illa cessante, Privilegium quoque finiatur *l. 14. C. de Decurion. lib. 10. l. 1. in pr. ff. de testam. mil.* Etenim Privilegium ad tempus con-

cessum, ipso jure expirat elapso tempore. Exemplum
videre licet in proposito *Privil. Mil. VI.*

V.

Ultimam tandem amissionis causam, quando scil. à
superveniente aliquo accidente seu Casu Privilegium
extinguitur, perspicuè ostendit *Privil. II.* quod milites
Procuratores esse prohibet, cujus privilegii amittendi
casum & rationem ibi adjecimus, quo B. L. brevitatis stu-
dio remittitur. Multa enim ex postfacto tolerantur,
quæ ab initio prohibentur *l. 8. ff. de his qui sui vel al. Jur.*
l. 24. ff. de Inoff. Test. l. 1. §. 5. ff. quand. appell. sit. c. ad Apo-
stolicam. de Reg. Jur. c. neq. furiosus. 33. q. 2. Vid. Magnif.
Dn. Richt. in Cent. Reg. Jur. Reg. 65.

HæC De MILITIBUS IVRIBVS.

Quod superest

CANDIDE LECTOR MEMENTO,

Omnium habere memoriam, & in nullo penitus pecca-
re, Divinitatis magis esse, quam Mortalitatís *l. 2. §. 13. C.*
de V. I. E. & Const. Tanta. de Confirm. Dig.

DEO GRATIAS!

PARERGA

EX JURE CIVILI.

I.

- V**irgo potest habere dotem & actionem de dote.
- II. Omnis actio præsupponit dominium, at non omnis oritur
ex dominio.
- III. Fidejussor, si jurejurando se obligaverit, Excusationis be-
neficio renunciasse non censetur.
- IV. Studiosi in Academia Patria literis incumbentes, quam-
vis peregrinas Academias studiorum gratia non saluta-
rint,

rint, si modò in Album Studiosorum relati fuerint, Privilegiis Scholarium fruuntur.

V. *Sanguis è vulnere aut naribus interfecti, si cadis suspectus in conspectum cadaveris deducatur, erumpens, (Germ. das Baar-Recht) Tortura sufficientem causam non prabet.*

VI. *Etiam ea, quæ Jure Civili Romano introducta sunt, Juris Gentium esse verè dici possunt.*

VII. *Q. Si Emtor Thesaurum in Fundo seu Re nuper emta, invenerit, an Venditor ultra dimidium justì precii lesus agere possit, ita ut Thesauri, propter quem res citra dubium pluris æstimanda est, ratio habeatur? N.*

VIII. *Q. Si fœmina, habitum virilem assumens, Nomenq; masculum sibi imponens, in certum militum numerum relata fuerit, postea verò ad hostes transfugerit, num eadem, quâ Transfuga, pœna affici possit? D.*

IX. *Obedientia Patria posterior est obedientia parentis, & etiam prior.*

EX JURE FEUDALI.

I. *Molendina Navalia & Pneumatica Rebus immobilibus esse annumeranda, cum Magnif. Dn. Struv. in Synt. J. F. c. 6. aph. II. n. 6. & 7. assero.*

II. *Q. Si Vasallus Filios habuit, antequàm Feudum novum accepit, & postea Filios non suscepit, atq; decessit, an Frater ipsius debeat admitti, an verò Filii antè Feudi concessionem nati? Posterius Autoritate Præ-Nobilis. Dn. Præsidis in eleg. Comm. suo Jur. Feud. ad I. F. 20. lit. E. circa fin. affirmo.*

III. *Dotatitium, licet Maritus defunctus Uxori suæ de eo non prospexerit, nihilominus à Domino vel Agnatis in Feudo Viduæ est constituendum.*

E 3

IV.

- IV. *Vasallus, si Pater ejus cum Domino Feudi bellum gerat, Neutri succurrere debere, cum Excellentiss. Dn. Præsidente in Colleg. Feud. priv. ad 2. F. 7. defendo.*
- V. *Vasallus propter osculum Uxori Domini sui datum, Feudum non amittit.*

EX JURE PUBLICO.

- I. *Rex Bohemia est Elector.*
- II. *Collegium Electorale tacito Principum consensu, occultis initiis, interveniente diuturnitate temporis memoriam Hominum superantis, introductum esse, autumo. Confirmat hoc A. B. t. 2. §. Und dieweil von alter / guter und löblicher Gewohnheit. t. 4. in fin. Als von alter Gewohnheit. & t. 5. §. Und wiewohl ein Kayser oder Römischer König / &c.*
- III. *Jus Bellum indicendi in Pontificem Romanum non cadit.*
- IV. *Elector decimum octavum atatis annum transgressus, non solum ad Jus Electionis, sed etiam Principatus Gubernationem est admittendus.*
- V. *Princeps Nundinas Civitati concessas pro lubitu revocare nequit.*

EX JURE CANONICO.

- I. *Testamentum coram Presbytero, Paroeciali & duobus testibus conditum subsistit.*
- II. *Foenus Nauticum Jure Canon. non omnino improbatur.*
- III. *Remissio poenae infamiae, mulieri intra annum luctus nubenti metuenda, potest excusari & defendi.*
- IV. *Homicidium propter defensionem rerum tam à Laico, quam Clerico commissarum, nulli poena subjacet.*
- V. *Q. An Judaeus baptizatus quoad delicta in Judaismo commissa adhuc sit puniendus? D.*

Ad Hu-

Ad Humanissimum ac Peritissimum DN. RESPONDENTEM, de PRIVILEGIIS MILITUM publicè disputantem, Amicum suum.

Quæ sint JURA boni, quæ sint quoque MILITIS æqui
ORNAMENTA, doces; MILITIS ipse Decor.

Nam quæ corporeis armis perfecit honestus
Miles, Musarum castra secute, facis.

Expugnas rabiem vulgi, quæ barbara, doctâ
Devincis lingvâ; grandia blanda TIBI.

Sic igitur pergas certando, digna CORONA
Composita est, merito, quam dabit ipsa Themis!

Benevolentia causâ, cum voto omni felicitatis faciebat

Christianus Chemnitius, D. P. P. Past. & Superint.

Doctis dum, HALLMANNE, cupis bellare Themistæ
Scriptis: lætus abi: victor ab hoste redi.

*Hæc Viro Juveni Pereximio atq; Præstantissimo, virtutibus atq;
eruditione conspicuo, Disputationis hujus Autori L. M. G. adponeb.*

Præses.

Sunt, quos castra juvat Martis sectarier, & sunt
Quos Sophiæ, & Themidos splendida signa juvat.

Non Martis, verùm Sophies vexilla secutus

Hactenus, & Themidos dulcia signa sacræ.

Idjam testantur tua scripta, docentia, quænam
Militibus justè sint data jura probis.

Hinc HALLMANNE, duo præclare puncta mereris:

Quæ Mars, cum Sophia, quæque dat alma Themis.

*Ita ut eveniat, hæc præstina consuetudinis & conversationis
hæc immemor*

Adrian Beier, Jen. U. J. D.

Præmia digna manent velut hos, queis classica raros

Sapè fugit somnos, mox ut in arma ruant:

Sic etiam sacræ Themidos Te castra sequentem

Et jam certantem Præmia digna manent.

*Hæc igitur, Nobilis atq; Præ-Eximie Dn. HALLMANN,
Fautor & Amice singulariter colende, mox mox ut conse-
quaris, perq; ea summum honoris culmen feliciter conscen-
das, Tuus ex animo vobet*

Johannes Schmidt / U. J. Ddus.
Forti-

137
Fortibus ut quondam leges & jura faverunt
Militibus, doctâ scribis, Amante, manu.
Militiam faciens ipſus conſcendis arenam;
Militiam inſignem præmia certa manent.

*Ita gratulatur Nobiliſſimo atq; Præximo Dn. Autori, Conter-
aneo, Commensali atq; Amico ſuo familiariffimo*

Godofredus Reinholdus, Vrat. Sil.

SONNET.

Mars meht die Menſchen hin / Bellona ſengt und brennet /
Der Krieg thut ſelten gut. Ein Krieger iſt ein Mann /
Der keinen Augenblick ſein Leben ſichern kan;
Er zuckt den Degen blank / ſiht auff dem Hengſt und rennet
Mit ſporen ſtreich in Tod / ſo bald das Wort genennet /
Weiſt einer in das Graß / und welcher alſo dann
Stegt / trägt das davon / was Julius gewann:
Er macht / daß ſeinen Ruhm die ſpäte Nachwelt kenne.
In dehm / mein treuer Freund / dein kluger Rith uns ſetget /
Was Krieges Leute ſind / und was ſich ein Soldat
Vor groſſes Recht erfreut / wie vor dem Krieges Rath
Er nur alleine ſteht / ſchau' an! in dehm ſo ſetget
Aſtræa ſich zu dir / und ſpricht: Mein lieber Sohn /
Fahr fort! Ich bin bedacht auff deinen Ehren-Lohn.

*Alſo ſolte den Hn. Antwortenden / als ſeinen treuen Freund und Bruder
glückwünſchend beehren*

Philipp Jacob Holzbecher / LL. Stud.

Wie kan Aſtræens Ruhm wohl mit der Zeit vergehn /
Weil man / Papinian / dich täglich wil erhöhn?
Bald der / bald jener hilfft durch wohlgegründtes Lehren /
Und überweiſen Riel der Themis Schein vermehren;
Auch Er / Hochwehrter Freund / iſt iht darauſſ bedacht /
Wie gröſſer werden möcht' Aſtræens Glanz gemacht.
Sehr wohl! Er fahre fort! Apoll' iſt ſchon beſtiſſen
Zu tröhnen ſeine Treu / Minerva wil JHM küſſen
Als wehrten Muſen Sohn: Auch hat vor ſeinen Gleiß
Das Vaterland bereit den längſt verdienten Preiß.

*Mit dieſem wenigen ruffte ſeinem vielgeliebten Hn. Betern und wehrten
Stuben-Freunde glückwünſchend zu*

Joachim Balthaſar Elfner / von Briſlau / D. N. W.

F I N I S.

ULB Halle
002 725 983





3

SP

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

elico Duce, *Pi. 42. Num. 10*
QUE SUFFRAGIO
tri ac Florentissima ad *1665, 31*
tate Collegi;
ATORE
o, *17*
Consultissimo, Excellen-
og

FRIDERICO
in Wicferstadt / Jcto
hujus Academiae Celebra-
nico Splendidissimo, Faculta-
& Scabinatus Assessore Gra-
tissimo,
regularis observantia & honoris
devenerando,
EM JURIDICAM
LEGIIS
TUM,

εὐρω *disquisitioni*
nit
TIANUS Hallmann/
VIENSIS.
R. M. DC. LXV.
confecrato.
SIANIS.

